

§. 7.

Non autem non poterant Scripturam maximopere commendare cum ipsi ejus usum penes se persenserint. AUGUSTINUS initium suæ conversionis ei acceptum fert. *Confess.* l. VIII. c. 12. visa ab initio illi est indigna, quæ Tullianæ dignitati comparetur, *nam illa crescebat cum parvulis, sed ego dedignabar, inquit, esse parvulus, & turgidus fustu, grandis mihi videbar.* *Conf.* l. III. c. 5. sed postea mutato animo, divina Scripturæ efficacia humiliatus, quid S. literæ possint, suo exemplo docuit. vide notatu dignissimam conversionis ejus Historiam in POSSIDIÏ vita Aug. CAVEI *Hist. Lit.* ad A. 396. & THEOPH. SPIZEL. in *Pio literati hominis secessu, Literato ejus felicissimo annexo.* p. 448. seqq. Ita THEOPHILUS *Antiochenus*, quod relicta vanitate gentili, Christo nomen dederit, potissimum Scripturæ S. se debere fatetur. in *Lib. I. ad Antolycum*, amicum ejus antea intimum, sed ipsi ob Christianismum maxime succensentem, quem ut ad suas apud Christum delicias etiam traheret, tres ad ipsum libros scripsit, & in tertio, collatione inter scriptores sacros & Gentiles instituta, quantum hi ab illis vincerentur, egregie demonstravit. Pari ratione JUSTINUS MARTYR inter gentiles natus & educatus, ut verum DEum inveniret siticuloso animo omnes fere philosophorum sectas peragravit, tandem ita dirigente provida DEI cura, in Prophetarum aliorumque DEI virorum scripta de lapsus, sitim sedavit, veritatemque etiam martyrio obsignavit. Notabilia hæc ejus fata ipse descripsit in *Dialogo cum Tryphone Judo.* Non minus etiam HILARIUS meritissimus ille Pictaviensium Episcopus, litteris profanis deditissimus, tandem autem de vero DEO & vera in eo requie sollicitus dice ex rationis suæ judicio sibi satisfacere voluit, sed requiem non invenit, donec ex S. literis excitatus & convictus, majori erga S. Codicem amore inflammatus transitu ad Christianismum factò animam tranquillavit. Ipse *Hilarius* gradus quibus ad veri cognitionem pervenit, exposuit in *L. I. de Trinitate*, ut alios jam plures taceamus. Ita, cum quanta vis insit scripturæ animos in melius vertendi, optime etiam alii agnoscerent, quid mirum, quod multoties & luculentis testimoniis, DEI præcepta quantum

*quas propria virtutis S. S. experientia expressit.*

tum